

gnitis aliorum legibus, ritibus, statutis, suæ Reip. statui  
ritè accommodavit.

Phœnix ille Philosophorum requirit in Magistratu  
longam peregrinationem, & multarum rerum circui-  
tuin. Nec non Poëta.

*Longinqua immensa lustranda est Gracia Ponto,  
Ut tibi succedat perfecta scientia rerum.*

Et quid Illustres Illustris Austriacæ domus Proccres  
tot tantasq; & omni laude superiores suscepissent pere-  
grinationes? (quibus etiam adhuc summopere student)  
quid Italiam adiissent? Galliam perlustrassent? Hispani-  
am aliasq; regiones peragrassent? nisi ipsis quasi innatum,  
Prudentiā alibi haustam Reiq; suæ publicæ prudenter ad-  
positeque accommodatam fore vsui non exiguo, orna-  
mento summo, sibique ipsis immortali encomio. Ad  
Oeconomiam vero quid utilitatis redundat? Discimus  
certè, vt alia multa, quomodo cum fruge res instituen-  
da familiaris, vt superflui sumptus resecandi, familia tra-  
ctanda, liberi educandi. Opes si quis quærat, & peregrina-  
tio opem adfert. Poëtam audi.

*Impiger extremos currit mercator ad Indos,  
Per mare, pauperiem fugiens, per saxa per ignes.*

Quis à Lycurgo non disceret Educationem? à Curio  
frugalitatem? à Magno Hetruriæ Duce rei familiaris con-  
tractionem? Quantum divitarum in Indicis delituisset  
terris, nisi peregrinatione navalı Columbus evolasset,  
omnia non minùs laboriosè quàm artificiosè, per vesti-  
K 3 gasset,